

Dissertatio medica inauguralis, de amaurosi, quam.... : Eruditorum examini subjicit / Joannes Crampton, A.B.

Contributors

Crampton, John, -1840.
Bland, R. 1730-1816.
Merriman, Samuel, 1771-1852.
University of Edinburgh.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Typis Gulielmi Creech, 1793.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xxw73bru>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E_library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
AMAUROSI;
AUCTORE
ANDREAE ALEXAND. NUNNEN.

D. GULIELM. NOBILIATON, D. S. C. P.
ACADEMIAE MEDICAE CATH. PAUL.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

AMAUROSI.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUCURALIS

DISSERTATIO MEDICA

IN AUCURALIS

DISSERTATIO MEDICA

DISSERTATIO MEDICA

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
AMAUROSI;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES CRAMPTON,

A. B.

TRIN. COL. DUB.

HIBERNUS,

SOC. REG. MED. EDIN. SOC.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO.
TYPIS GULIELMI CREECH.
M DCC XCIII.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUGURATU

AMAUROGLO

CLAM

ANNUNCIATUM

IN ACADEMIA MEDICA

D. GUILLELMO RIBBESON

ACADEMIAE MEDICAE

PRÆSIDI

ACADEMIAE MEDICAE

IN ACADEMIA MEDICA

PRÆSIDI

SUMMUS IN MEDICINA HONORARIUS

PRÆSIDI

PRÆSIDI

JOANNES GRAMM

A. D.

PRÆSIDI

PRÆSIDI

PRÆSIDI

PRÆSIDI

Ad diem 24. Junii, hora 12. media

PRÆSIDI

PRÆSIDI

PRÆSIDI

PRÆSIDI

PRÆSIDI

GILBERTO AUSTIN, D. D.

HAUD MINUS

ARTIBUS INGENUIS

QUAM

STUDIIS SEVERIS

SPECTANDO;

HANC DISSERTATIONEM,

OBSERVANTIÆ SIGNUM,

D. D. C.que

AMICUS,

AUCTOR.

— But thou

Revisit'st not these eyes that roll in vain
To find thy piercing ray, and find no dawn;
So thick a *drop serene* hath quench'd their orbs,
Or dim suffusion veil'd. —

MILTON.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

AMAUROSI.

AUCTORE J. CRAMPTON.

OCULUS humanus fabrica pulcherrima ac delicatissima pariter a sapiente rerum Opifice formatus, eoque situs ut quam tuto ac quam commode visus exerceatur, suos tamen habet morbos miserandos, omnique attentione dignos. Fieri non potest quin organon adeo tenerum, adeo complicatum, tantis tamque diversis periculis obiectum quadam aliquando parte laboret; et si in machina tam complexa partis cujusdam functio læsa vel impedita sit,

five tunicae, five humoris, aut vasorum sine numero quibus oculus scatet ac nutritur, patet visus potestatem pariter imminui aut depravari posse. Neque hoc solum : nam ipsius oculi partiumque ejus, salva prorsus fabrica, cæcitatis gradus varii accidere possunt. Vitium hoc Amaurosis vel Gutta Serena appellatur. A Barbaris olim Gutta Serena vocabatur ;—Gutta ex inepta Arabum sententia, qui, secundum hypothesein suarum deflectionum, opinati sunt, guttam catarrhalis materiae ante foramen visus opticum in nervum illapsam, impedire spirituum in eundem ingressum. Serena vero dicta, quod oculum non opacaret.

De hoc morbo pauca differere vel colligere potius in animo est, omnibus aliis oculi affectionibus prætermiſſis, quippe quæ omnes fusius ab auctoribus diversis tractati sunt. Preterea dissertationis hujusmodi limites arcti, ac metus ne in libellum usque paginae sequentes increſcerent, nos a tali inceptu prorsus deterrent.

Amaurosis definitur *, “Visus imminutus vel prorsus abolitus, sine oculi vitio evidenti, plerumque cum pupilla dilatata et immobili.”

Hunc morbum nulla oculi deformitas, nulla humorum opacitas comitatur; e contra illis tali calamitate affectis accidit, ut oculi plus usitato splendeant, ac pupilla ampla clarissima appareat. Affectio videtur esse retinæ aut nervi optici partis cujusdam, qua radiis lucis per oculum transeuntibus insensilis fit. Variat gradu intensitatis Amaurosis. Perfecta est, cum visus e toto abolitur; Imperfecta, cum restat videndi facultas aliqua; et Partialis, quando objecta in parte tantum curta aut dimidiata cernuntur.

In Amaurosi perfecta nulla videndi potestas superest. Retina ex integro insensilis fit, co-

A 2

lores

* Cullen Morb. Gen. xciii.

lores vividissimi nullo modo a debilioribus discrepare percipiuntur, noctes diesque eadem videntur, miserque caligine uniformi vitam tranfit.

In imperfecta colores vivos distinguendi potestas aliqualis remanet, et luce valida affici videtur oculus, adeo ut iris ad contrahendum aliquanto cietur; in hac specie maculæ nigræ, muscæ volitantes, lucis fulgores variæque ante oculos illudere imagines videntur.

Altera species, quæ * partialis vocari potest, haud minus attentionem meretur; cum pars tantum retinæ morbida sit, rerum imagines in oculo depictæ ibi solummodo impressionem faciunt qua radiis lucis sensibilis existit; patet ergo figuram imaginis, quæ percipitur, a partis retinæ sanæ magnitudine atque forma pendere;

* Guérin *Traité de Maladies des Yeux*, p. 156 et seq.

dere ; miræ hinc phasæ, sæpe revera ludicræ, objecta enim mutata, curta, dimidiata videntur. Binos hic mirabiles casus quos St Yves prodidit memorare liceat *. Homo nempe foli aprico fraga colligens amblyopia bimestri correptus est, quo tempore fragum depictum perpetuo ejus oculis obversabatur. Juvenis porro canonicus Amaurosi imperfecta unius oculi, cum ejus pupilla quartam partem nativæ contractionis tantum habente, laborans, dum oculo sano clauso cæcutientem ad legendum adhiberet, pro literis earumque seriebus nil nisi lineas nigras conspiciabatur, quarum in medio proprii oculi imaginem usque adeo determinatam videbat, ut et iridis colorem et radiorum quorundam per eam transeuntium situm exacte teneret. Usu catharticorum refrigerantium et spirituosorum collyriorum, intra triginta dies spectrum evanuit, visusque acies pristina rediit. Plurima quoque alia
narrantur

* St. Yves *Traité de Maladies des Yeux*, p. 259.

narrantur exempla, in paralyticis præsertim, ubi objecta duplicata variaque ludibria optica occurrerunt, quæ omnia a parte retinæ tantum affecta oriri videntur.

Infantes sæpe cæci nascuntur, quod non nisi ætate procedente percipitur, et lucis solatium nunquam postea experiuntur; sed quod multo magis lugendum, homines qui florente ætate visu optimo præditi sunt, ii præsertim studiis dediti, quique animi acie naturæ opera contemplari solebant, quo magis scientiæ fontes haurire avebant, eo magis amissa dolent lumina; et quod vitæ supereff tenebris, animi mœstitia, corporis inertia ac languore consumunt.

Diversis modis hic morbus sese ostendit; nunc causa vehementer applicata subito cæcitas invadit; sæpius tamen sensim aggreditur, et alter oculus solummodo visum perdit, sed haud ita multo post alterius cæcitas insequitur;

sequitur; præcedunt et comitantur capitis dolores profundi, vertigo, suffusio, scintillæ muscæque volitantes ante oculos obversantur, visus gradatim debilitatur hebescitque: Pupilla dilatatur, et iris luce immissa non contrahit; saltem magnam irritabilitatis seu consensus quem cum retina habet, partem amittit. De morbi gradu per quantitatem contractionis quæ superest judicare solemus; visu penitus deleta pupilla immobilis; si pars mobilitatis superest, visum proportionalem relinqui judicamus: At in Amaurosi exquisita accidit aliquando ut pupilla, luce valide applicata vice contrahendi amplius dilatetur dum cæcus, enim ex * instinctus potestate nimis ad videndum facit, lucisque quantitatem ad retinæ stimulum nimis exiguum invenit; fitus inde ille eligitur qua lucis maxuma quantitas in oculum admittatur.

Quanquam

* Monro Prælect. Anat.

Quamquam in hoc morbo pupilla semper fere dilatatur *, exceptiones tamen observantur ubi pupilla, aut mobilitatem retinet, aut omnino contracta apparet; in priori casu oculus a sano ab inspiciente nullo modo dignosci potest, licet perfecta cæcitas adsit. Hujusce rei explicatio a † quibusdam dicitur pendere ex eo quod nervi ciliarii qui uveam suppeditant ab optico omnino distincti independentesque proveniunt, hoc itaque compresso paralytice affecto illos integros manere posse, et luce applicata aut iis aut iridis fibris contractionem sequi; nobis potius consuetudinis effectui res tribuenda videtur: qua oculi partes in circumstantiis quibusdam stimulis idoneis applicatis motus assuetos perficiant; quamquam enim retina, luce applicata, functionibus suis ita lædatur ut visus perceptionem

non

* Janin Memoire sur l'Oeil, p. 425.

† L. c. supra.

non producat quid obstat quin tantilla pars energiae nervosae superftet quae ad motus partium sympatheticos ciendos sufficiat.

Cum pupillae contractio permanens est, nullaue dilatatione alternata, ex inflammatione et adhæsione, aut injuria uvae partiumque vicinarum plerumque pendere videtur.

In exemplis quibusdam hydrocephali interni, stadio nempe ejus ultimo *, paucisque ante mortem diebus, pupillae quae antea patulae, nunc magnitudine fere naturali observatae sunt; vir clarissimus explicationem hujusce deducit ex eo quod aqua in cerebri ventriculis quae antea thalamos nervorum opticorum praecipue premebat, nunc mole aucta nervos remotiores in origine sua, ideoque eos qui uveam suppeditant, afficiebat, hinc laxitas paralyfisque ejus; quod accidit etiam paulo

I B post

* Whytt de Hydroceph. Interno.

post mortem, pupilla enim, limbis ejus externe versus minus tractis, necessario contractior evadit.

Guttam Serenam sæpe comitantur sensuum hebetudo et anæsthesia quædam, aliaque symptomata paralytica; nares semper fere aridæ excretionem Schneiderianam destituta observantur, corpusque totum cum animi sensuumque languore participat.

Nullæ aliæ sunt oculi affectiones quibus Amaurosis confundi potest; pupilla enim pellicula, oculique partes integræ, diagnosis fatis evidentem ab omnibus aliis visus defectibus præbent.

C A U S Æ.

AMAUROSEOS causæ agunt, vel cerebrum nervosque comprimendo, vel vim eorum dirimendo.

I. Compressio

I. Compressio nervi optici in parte ejus aliqua, aut cerebri ipsius, quæ diversis modis efficitur: Vis externa capiti illata, cranii vulnera vel depressiones; tumores varii *, osseï †, steatomata in diversis cerebri partibus, mole ita adaucti ut ad cerebrum comprimentum valeant.

‡ Fluida quoque in varias cerebri partes effusa, aut hydatides tanta copia, ut compressionem afficiant; aqua in cerebri ventriculis haud potest quin thalami nervorum optico-
rum pressione afficiantur; oculus enim lucis radiis insensibilis cum pupilla dilatata, sunt symptomata quæ in hydrocephalo interno nunquam defunt.

B 2

Arteriæ

* Boerhaave de Morb. Oculi, c. ii. § 3.

† Bonet Sep. Anat. lib. i. § 18. obs. 10.

‡ Morgani Epist. ix. N^o 20.

Arteriæ carotides intra cranium ingressæ, ubi circa sellam sphænoidealem plures anastomoses cum semet ipsis ac arteria basilari, qui circulus Willisii appellatur, faciunt, si hæ sanguine turgidæ sint et dilatentur, nervi optici necessario comprimantur oportet.

Tunica quoque sclerotica, ubi nervus opticus per foramen aut annulum ejus, globum oculi intrat, inflammatione aliave causa crassior atque arctior reddita compressionem efficiet.

Arteria etiam centralis quæ nervi substantiam penetrat, plenitudine, dilatatione, pulsatione aut actione aucta, nervum comprimere, aut sanguinem inter vasa, quæ nil nisi fluida pellucida antea vehere solebant, effuso, retinam insensibilem reddere potest.

Denique quicquid caput concutit, sanguinis impetum caput versus violenter adauget, ut ictus, sternutatio vehemens, adfectus animi

mi

mi excitantes, calor, exercitatio, &c. aut quicquid respirationem impedit, sanguinisque a capite reditui obstat, compressioni et effusioni faveri videntur.

II. Retinæ atonia ; torpor.

Stimuli solito fortiores oculo subito ac vehementer applicati, ut lux vivida, radii solis directi, aura electrica, fulgur, &c. sæpe visus prorsus eripiendi potestatem ostenderunt. “ * Dionysius Siciliae tyrannus domum super carcerem construxit clarissimam, ac longe splendidissimam, calce illitam. In eam domum postea qui diutissime carcere infimo fuissent conclusi victos ipsos sursum educebat, qui ex multa ac profunda caligine in splendidam lucem egressi lucem quidem erant cupidi intuituri, intuiti vero occæcabantur lucis splendidae occursum repentinum

ac

* Galen. de Us. Part. lib. x. cap. 3.

ac confertum non ferentes :” et exempla esse hominum qui fulmine tacti ilico visum perdididerunt quotidiana docet experientia.

Lentior, sed haud minus frequens certusve oculis infestus est usus eorum nimis intensus, studia nocturna, objectisque minutis applicatio constans : Hujusce exemplum memorabile poeta eximius noster, et casus ejus, Perfecta Amaurosis a seipso elegantissime describitur ; et nobis quoque quotidie, ex variis artium cultoribus, qui opera minuta tractant, exempla hujusmodi occurrunt.

Torpent quoque aliquando ab ipso natu visus organa, ac infantes cæci non nisi ætate procedente notati sunt ; horum etiam aliquos sanatos esse narrant St. Yves et Sauvages *.

Porro

* Nosol. Method. tom. i. p. 747.

Porro experientia compertum est, omnes corporis partes atque organa diversa ætate provecta fatiscere atque debilitari, neque enim ut in æternum durarent formabantur; hæc autem naturæ lex, hoc consilium ut singuli pereant homines, gens humana floreat; nec visus organon talis mutationis immune. Retinæ sensibilitas enim fenescens in dies imminuitur, præsertim si oculis abusi sint, noctu scripsere, opera minuta tractare; et terminus visionis distinctæ intra paucorum annorum spatium sensim sed evidentur decurtatur.

Ab aliis quoque morbis Amaurosis oriri consuevit, ut ab arthritide, scrophula, vermicibus exanthematis, morbisque febrilibus, &c. neque hoc mirum videatur; si pars enim quædam corporis a natura ita constituatur ut in morbum admodum proclivis sit, causæ quæcunque debilitantes corpori applicatæ, licet ad alium morbum producendum magis inclinent,

inclinent, ex sympathia tamen quam omnes fere corporis partes inter sese habent, debilior ista tantum injuria afficietur; sic a frigoris applicatione varii morbi, sicut partes magis pronæ sunt, excitantur, modo pulmones, modo intestina afficiuntur, in altero vesica, in altero etiam pedes laborent.

* “ Sed neque hæc quamvis exigua et imperfecta de cerebri et mentis morbis scientia suis difficultatibus caret: nam facta cerebri vel partis ejus cujusvis læsione, tumore, ossæ in mucronem crescente et irritante, &c. nemo predixerit quidnam mali talis læsio factura sit; epilepsiam, apoplexiam, hemiplegiam, stuporem melancholiam, furorem, dolorem capitis, aut nil præter solitum; non desunt enim exempla hominum qui post amissam haud exiguam cerebri partem convalescerunt, et diu vixerunt; vel qui corrupta
magna

* Greg. Confp. Med. Theoret. § 305.

magna cerebri parte nil incommode perceperunt donec tandem subito corruerunt convulsi ac moribundi."

A spasmo etiam, ut in epilepsia et hysteria solenne est oriri observatur; convulsis undique oculi musculis nervumque forsan inter sese prementibus, nil mirum ut visus pereat.

Venena, ut vapores quidam oculis applicati, aut varia narcotica in ventriculum ingesta, morbum induxisse docet experientia; stramonium, hyosciamus, cicuta, opium etiam magna copia devoratum: Ebrietas a liquoribus spirituosus, ac hercule! vino ipso visus etiam prorsus suspendendi potestatem, ut Bacchi cultoribus probe notum est, habet.

Venena quoque fossilia, ut plumbum, arsenicum, eorumque vapores, hanc affectionem

I

C

aeque

aeque ac alia symptomata paralytica excitare inveniuntur.

Ex causarum excitantium enumeratione, Amaurosis, retinae insensibilitatem statumve paralyticum, pro sua causa proxima, et hanc eodem modo ac aliae paralyfes effici, videtur, cursu communicationis cerebrum inter nervumque intercepto, aut nervo ipso exhausto, exsucco, morbido, impressio illa qua mutatio in cerebro ad sensationem efficiendam necessaria, fieri non potest. Sed quænam mutatio, quisve motus, in cerebri partibus inter sese ad sensus motusque producendos accidit, hætenus physiologos omnes difficultatibus haud exiguis implicuit, et ut his rebus lux propitia effulserit omnibus avide optatur.

Retinae status hic, saltem in iis casibus ubi nervi in origine sua a compressione liberi evadunt, forsan in conditione morbida retinae
vasorum

vasorum constat; obstructis iis, mutatis, actione auctis, aut deficientibus, conditio expansionis nervosæ relativa quæ ab iis multum pendet, quodammodo mutatur. Et Professor MONRO in prælectionibus suis passim observat systema arteriosum ac nervosum per totum corpus mutuo quodammodo ac quasi in circulo reagere: Nervos scilicet ad arteriarum et arterias ad nervorum functiones integras exercendas pariter requiri; si vasa ergo quæ sanguinem in oculum vehunt, obstructa, minuta, aut quovis modo læsa sint, nervi tali nutritione ac stimulo forsan solito orbati haud amplius ad sua munera valent.

PROGNOSIS

Potissimum a cognitione causæ excitantis repetenda est. Sic Amaurosis a pressio nervo optico, si causa premens tumor aut exostosis sit rarissime sanatur; sed causæ hujusmodi sæpe

sæpe nullo modo detegi, vix equidem suspicari possunt.

Si vulnera, ictus, inflammatio, commotio cerebri in culpa sint, pro ratione causæ violentiæ curatio expectanda.

Amaurosis repente orta plerumque curabilior est quam illa quæ pedetentim lenta, sed haud minus certa gradu incedit.

Si atonia paralyfisve retinæ pro causa, ab insensibilitatis gradu, morbi duratione pupillæ statu, ac remediorum effectû judicatur.

Amaurosis symptomatica leve ac fugax malum, morborum spasticorum, hysteriæ, epilepsiæ, colicæ saturninæ, &c. temporaria solum est, et finito paroxysmo sponte evanescit.

In genere quo magis pupilla contractilitatem suam retinet, quo recentior sit morbus,

et

et quo minus læsionis organicæ suspicio sit, eo magis de eventu morbi, faustum proferre judicium licebit.

RATIO MEDENDI.

Cum morbus hic diversis pariter ac oppositis causis oriatur, perspicuum est, rationem medendi quæ omnibus speciebus ejus prorsus conveniat proponere plane impossibile esse; singulæ itaque species spectandæ, ac causæ remotæ, si cognosci possunt vitandæ, ac quantum in nobis est, prorsus amovendæ sunt. Plurimum quoque medelæ perspicuæ conferet si probe consideremus utrum morbus sit revera idiopathicus atque a vitio partis locali oriens, an ab affectione in dissita quadam corporis parte, et ex sympathia tantum visum afficiens incipiat; in posteriori casu morbi primarii præcipue ratio est habenda, in priori sive idiopathico

thico consilia quæ sequuntur proponenda videntur:

I. Compressionem amovere.

II. Retinam paralyticam restaurare, torpentem concitare.

III. Spasmm, si adfit, tollere.

Primum consilium remediis præcipue evacuantibus ac deobstruentibus efficitur; si justo plenior sit æger, aut plus æquo sanguinis ad caput dirigi videtur, detractio sanguinis instituenda est: Talem autem evacuationem celebrare, nisi actionis auctæ vel congestionis in capite signa simul adsint, raro necessarium erit: Sanguinis quoque missiones topicæ, quales hirudinibus, cucurbitulis aut scarificatione provocantur, æque profunt, atque difficultatibus venæ sectionis generalis carent.

Cathartica

Cathartica levamen haud exiguum in omnibus fere capitis morbis, præsertim si a ventriculi conditione aliquo modo pendeant, ubi alvus liquidior semper fere juvat. Purgatio plena, fatis valida ac prompta qualis a catharticis quibusdam drastice cietur egregie aliquando prodest:— “ * Derivationem enim abdomen versus efficit, motumque sanguinis per omnia hujus viscera promovet, et multum humorem tenuem ex sanguine detrahit, et sic exinatio generalis fit, et tensionem vasorum quæ sanguinem ubique corporis vehunt, minuit, et sanguinis ideo impetum temperat et actionem vasorum absorbentium excitat atque intendit.” Sic a dosi calomelanos cum jalappa maculas corneae dispersas fuisse cognovimus.

Vesicantia, qua evacuantia ac qua stimulantia plurimum medellæ conferre reperiuntur,

* Auctor. cit. supra, § 1418.

tur, et parti quam proxime applicata, conditionem ejus quodammodo mutare possunt; capitis etiam atque oculi ipsius dolorem qui comitatur, levare consuerunt. Eadem intentione fonticuli ac setacea quibusdam placent, sed repetitis vesicantibus posthabenda sunt.

Ustio cranii plurima Amauroseos exempla sanasse jam inde ab Hippocrate ad nostram usque ætatem memoratur. * Deckers narrat virginem post varia valetudinis incommoda cæcam demum factam, atque ubi curata est denuo recidivam fuisse passam: Inusto autem usque ad os vertice, liberata denuo, ubi ulcus confanabatur cæca rursus fiebat: quod ter accidit, terque inustio est instituta, sicque post tertiam ustionem visum ægra retinuit. Ustio tamen levissima, † Hænio testante, binis

in

* Exercit. Pract. p. 109.

† Ratio Medendi, Part vi. p. 239.

in casibus pessimos in encephalo produxit effectus, mortemque causavit, ergo eo certius hæc a profunda ad diploen usque ustione (id quod auctores ustionem commendantes exigunt) facta consequi oportebit; et recentibus in craniis experimento capto, iis cauterio vix tactis, in interna illorum superficie loca ustioni respondentia flavescebant bullasque flavas protrudebant; nos itaque a praxi adeo crudeli prorsus abhorremus.

Emetica, utpote remedia quæ corpus totum agitant, vasa omnia nervosque concutiunt, secretiones omnes excretionisque promovent, absorptioni præsertim favent, aliquid præstare possunt; et hac intentione potius propinanda censemus, quam evacuationis consilio; sed sæpius ac justis intervallis repetantur oportet.

Errhina, ut pulvis asari, &c. multum laudantur: et equidem, cum in hoc morbo, nares semper fere aridæ, locique vicinitas confide-

† D rantur,

rantur, minime mirum videatur, ut aucta excretio Schneideriana levamen haud spernendum promittat: acriora a quibusdam usurpantur, ut * mercurius vitriolatus cum pulvere sternutatorio vel glycyrrizæ in errhinum confectus, qui plures amauroseos casus, ex insperato fere, sanasse memoratur: Haud tamen inficiendum est, errhina incaute adhibita omnia symptomata exacerbare, sternutationemque causam Amauroseos quandoque excitantem fieri, sed hoc a prudenti applicatione vix accidere potest.

Si compressio a liquidis effusis, a tumoribus intra cranium, aut prava partium conformatione pendeat, remediis, quæ vi deobstruenti pollent, ut mercurio, tartari crySTALLIS, cicuta, aliisque hujusmodi medicamentis curatio tentanda est; sed hæc etiam votis medici sæpius minime

* Memoir. Med. Soc. Lond.

minime respondisse, ingrata docet experientia.

Parata e mercurio, ut corrosivus sublimatus, remedia in tales affectiones sanandas efficacissima reperiuntur, etiam si quibusvis aliis morbus cedere recuset; vix opus est ut de administratione ejus hic verba faciam, usus autem ejus per tempus aliquod continuari, et haud sine cautela adhiberi debet: quibusdam morbum exacerbare videtur, et effectus ejus in corpore tales sunt, ut si nil proficiet, multum sanitati nocere invenietur.

Tartarus antimonialis, refractis sed iteratis dosibus exhibitus, quibusdam exemplis omnia commoda prioris remedii, sine incommodis ejus præstare comperitur: remedium certe quod viribus haud exiguis in corpore pollet; combinationes quoque ejus cum mercurio aliquando votis medici responderunt.

Secundum

Secundum consilium absolvitur medicamentis stimulantibus ac tonicis: ea stimulantia præcipue profunt quæ effectus suos in corporis partibus remotis, vasisque extremis, ostendunt; hujusmodi multa celebrantur, pauca quæ eminent memorare sufficiat.

Electricitas in omnibus fere nervosi generis morbis plurimum celebratur, et plurima Amauroseos historiæ hac methodo sanatæ memoriæ proditæ sunt. Administratio ejus diuturna ac sedula sit, neque nimis vehementer applicata, nam tunc morbus in pejus ruit, nulla cura postea redimendus: sed quanquam in plurimis casibus auxilium promittat Electricitas, haud tamen expectandum, hanc plus quam alia remedia in omnibus votis nostris respondere; semper in memoria tenendum morbi causas esse varias, et aliquas, ex earum natura, ultra medicinæ potestatem sitas esse.

Arnicae

Arnicae montanae flores summa cum utilitate in Amaurosi, testantibus multis medicis haud parvi nominis, adhibitae sunt.

“Novi virum (ait * Hænius) qui, et vino deditus et secretioribus reipublicae transcribendis diu noctuque occupatus, in Amaurosin incipientem inciderat; quem Albinus solo millipedum usu per plures menses continuato restituit: habent millepedes aliquid mire stimulans et agitans solidas nostri corporis partes.”

Mercurius quoque et antimonium, utpote vi stimulantia pollentia, eadem intentione praescribuntur.

Oculos quoque adumbratos servare proderit, nec lucem admitti donec plenam sensibilitatem ac robur recuperaverint, et tunc non nisi

* De Haen Praelect. Pathol. tom. iii. p. 442.

nisi roborantibus, tam generalibus quam topicis, præsertim aqua frigida, applicatis, deberi: Et nihil adeo conferet, ad oculi retinæque tonum roburque restituendum, quam diaeta stimulans, nutriens sed levis, cum vini portione modica; et si corporis debilitas ac languor requireret, ad corticem Peruvianum, valerianam, ac reliqua remedia roborantia, cum balneo frigido, confugiendum.

Si morbus a venenis in ventriculum ingestis aliove modo corpori applicatis oriri cognoscatur, quo citius noxium e primis viis pellatur, eo melius curatio speranda; et si veneni corrector idoneus cognoscatur, statim porrigatur oportet: noxio autem e corpore excreto, si debilitas paralyticeve sequantur, nil æque ac electricitas proderit.


Consilium tertium.—Cum spasmus in causa sit, ab epilepsia, hysteria, aut aliis morbis convulsivis principium ducere invenietur, tunc

tunc varia remedia, ad affectionem spasmodicam superandam, ea praecipue quæ antispasmodica appellantur, proderint : si spasmo remittente supersit tamen cæcitas, varia remedia antea proposita, adhibeantur, morbi primarii semper habita attentione.

F I N I S.

tunc variis remediis, ad affectionem spatmodi-
 cam superandam, ea praecepta quae antea
 modum appellamus, praestant: si spatmo re-
 mittente superest tamen caecitas, variis reme-
 diis antea propositis adhibeantur, morbi pri-
 marii semper habita attentione.

F I N I S



THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTOR LENOX AND TILDEN FOUNDATIONS

1891

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
